



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Quam graviter peccent, qui ex pauperum victu se ditant. 7

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

CAP. VII. *Quam graviter peccent, qui ex pauperum victu se ditant.*

Ioan. 12. Viderint quoque hi Magistri ac Hospitalium præfides, ne Iudam imitentur, qui loculos (ex quibus pauperibus distribuebatur) ferebat, ac fur erat; ne, sicut ille, ita & ipsi pereant. Noverint ergo, se tali muneri additos, non ut sui, sed ut pauperum curam ge-

rant; quos neglexisse, occidisse est; quibus quid subtraxisse, sacrilegii instar est. Et, quò vigilantiores in officio sint, singulis annis aut sæpius, Magistratui ejus loci, præfente Parocho, rationem de omnibus reddant. Non meum est (inquit Prosper) dicere, quantum peccatum est eorum, qui cibos pauperum sibi usurpant, &, unde pauper victurus erat, præsumendo suscipiunt.

P A R S D V O D E C I M A.

CAP. I. *De Scholis, Typographis, ac Bibliopolis.*

Ecclesiæ Reformatio à summis pariter & infimis, à capitibus simul & parvulis, ordianda est. Parvuli enim sunt, qui, succrescentes, in majorum locum, subinde decedentium, in Reipub. tam Ecclesiastica quam Secularis administratione succedunt; ut consequens sit, ab ipsis, prave ac nequiter institutis, Reipub. perniciem imminere. Quamobrem summopere refert, ut pueritia, quæ seges est omnium Rerumpublicarum, in timore Domini ac bonis disciplinis edoceatur. Id quod Dominus præcepit, Exod. 13, & Proverb. 6. Siquidem ea ætas, nullis aliis usibus accommoda, per id tempus colligere poterit & sibi & Reipub. luculentum fructum. Inprimis autem operæ precium Nobis videtur, ut clancularii illi magistrælli, qui in conventiculis vicatim docent, prohibeantur; utque Gymnasia illa ac Scholæ minores, in quibus pueri primis rudimentis imbuuntur, diligenter repurgentur, præfectis illis Didascalis seu Præceptoribus, non tam eruditis, quam, sanæ doctrinæ, integræque ac inculpatæ vitæ viris; idque hac potissimum tempestate, qua innumeræ pestilentes hæreses totam fere Germaniam, summo cum Christianismi ac Reipublicæ detrimento, iusto Dei judicio pervadunt, ac velut cancer serpunt: quas quum pueri semel inbiberint, difficile, immo impossibile, erit, ut easdem penitus iterum eluant. Nam, Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu.

Horatium.

CAP. II. *Scholæ inter visitandum repurgandæ, ac instituendæ.*

Quemadmodum verò Didascali pueros in Classés digerent, quæ dein ipsis prælegent, tam ad eruditionem quam ad vitam Christianam recte instituendam pertinentia, Nos inter visitandum pro ratione cujuscunque Scholæ trademus.

CAP. III. *Apud singulas Ecclesias habendus vir eruditus, qui Clericos ejus Ecclesiæ instituat.*

Olim Conciliari constitutione cautum est, ut non solum apud quamlibet Cathedrali Ecclesiæ, sed & apud alias, nimirum Collegiatis, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur Magister idoneus, qui Clericos earundem Ecclesiarum doceat & instituat. Apud Metropolim autem Theologum haberi præceptum est, qui Sacerdotes ac quoscunque alios in Sacris literis doceat, & in his præsertim instituat quæ ad curam animarum pertinere dinoscuntur. Visum etiam Concilio fuit, ut singulis Magistris unius Præbendæ proventus, tantisper quoad in docendo perstiterint, assignentur. Cujus quidem saluberrimæ constitutionis vix vestigia quædam apud ejuscemodi Ecclesias reliqua videmus. Nam, ut Scholas ipsas reperias, Didascalum tamen vix ullum eruditum ac pium repereris; quod nihil penè stipendii (ne dicamus unius Præbendæ proventus) illi suppeditetur. Quod emendatione magna indiget. Neque enim hæc res levis momenti est; à qua totius prope modum Reipublicæ tum salus tum perniciës dependet.

c. 1. §. 1. quia non nullis de Magistris.

CAP. IV. *Qui huic viro victum suppeditabunt.*

Cvrandum itaque, ut singula Collegia ludos literarios diligenter instituant, eisque de idoneis ludimagistris ac sumptibus prospiciant; ubi Collegia non sunt, Senatus & Reipublica idem curet.

CAP. V. *Quemadmodum Academia instaurari ac studia ali possint.*

Academias seu Univeritates publicas, per hanc hæresum colluviem, perire misere cernimus; quas instaurari maxime in votis est. Id fieri posse Nobis videtur, si modus aliquis inveniatur, quo pauperibus Scholasticis ex Ecclesiasticis stipendiis aliquid possit decidi: (Cle-